G vi Wun

27
45897
9

I. N. J.

SPICILEGIUM MEDICUM

De

P E S T E,

Quod

PRÆSIDE

GEORGIO VVOLFF-GANGO WEDELIO,

Med. Doctore, Theoretices Profeſſore Publico, Conſiliario & Archiatro Ducali Saxon. S. R. I. Natur. Curioſ. Adjuncto,

Patrono ac Præceptore æviternum colendo,

Publicæ Philiatrorum Examini ſubjicit

JOHANNES BERNHARDUS Winterbach/

Rotenburgo-Tuberano-Francus,

In Auditorio Medicorum, horis conſuetis,

Ad Diem Junii M DC LXXXV.

JENÆ,

Literis KREBSIANIS.

45897

Proœmium.

CLauſo theatro meminiſſe tamen licet actuum habitorum, ſeu lugubre exemplum, ſeu lætum propoſitum fuerit. Meſſe factâ ſpicilegium nemini vertitur vitio. Idem nobis liceat circa peſtem, morborum omnium diriſſimum.

Occeperat is Anno M D C L X X I X. in Germaniâ depopulari urbes, agrosque. Inde, Viennâ Auſtriæ digrediens, in meditullium Germaniæ penetravit, Pragâ, Dresdâ, Lipſiâ, mirè quaſſatis. Quâ ſede relictâ Magdeburgum, Islebium, Northuſam, Mülhuſam, Erfurtum, exercuit, ut plura non memoremus idem experta loca.

Ibi verò tractatus plurimi & conſilia de eodem malo truculento habita, ſcripta, promulgata, neceſſario partim, partim curioſo labore, ut fruſtrà videri poſſet & actum agere, ſi de eo amplius diſſerere ſuſtineamus, poſt, quàm M. DC LXXXIV. Januario menſe eſſe deſiit & ſævire.

Ut pacis tempore de bello cogitandum eſt, & nunquam de hoſte avertendo conſultatio in republicâ eſt fruſtranea: ita nemo nobis vitio vertet, ſi de peſte agamus, quamvis, quæ ſumma Dei O. M eſt gratia, nulla in Europâ vel Germaniâ peſtis viſenda ſit amplius; quod ut feliciter eveniat, faxit ſupremum Numen!

§. 1.

IN nullo morbo τὸ θεῖον, *divinum*, ab *Hippocrate*, licet Ethnico, primò notatum, magis occurrit, quàm in peſte; An, ut digitum Dei attendant homines & Chriſtiani, ſæpè negligentes aliàs hanc curam, imò non raro ἄθεοι? Non à causâ naturali oritur morbus, & naturales tamen edit effectus. Non ab aëre corrupto, & ab aëre tamen emoritur. Optimè diſpoſiti corripiuntur morbo, optimè curati moriuntur, & vicisſim pesſimè diſpoſiti evadunt, negligentes neglective curantur, vel à morbo intacti manent & liberi. Quis non in hoc agnoſcat vim ſuperiorem dirigentem, & à tergo ſaltem ſentiat, non caſu id contigiſſe, vel citra τὸ θεῖον?

§. 2. Eſt verò & hoc peculiare, habere quid altius in receſſu peſtem, quàm primâ fronte pateat, ſub notâ veſte occultum condere habitum. Seu, ut dicamus clarius, iis viſenda eſt ſymptomatibus, quæ nota, quæque manifeſta ſunt ſatis, unde jam dudum aſſeruêre quidam, peſtem non certi morbi nomen eſſe, ſed multis morbis, qui contagioſi ſunt, & plurimos interimunt, convenire. Adeò pluribus ſe adſociat, vel illos potius in ſui contubernium adſciſcit, latentius malum. Vix enim nominari poteſt morbus, in humorum conſiſtens hoſpitio, qui non peſti comes aliquando fuiſſe legatur.

§. 3. Inde jure merito univerſalisſimus fuerit vocandus, non tam quoad individua ſolùm, ſingula expoſita periculo, erumpente contagio, niſi quem Deus protexerit; quàm quoad individui partes, & morbos affligere ſolitos aliàs. Peſtem ſi dixeris, omnium morborum lernam, omnium ſymptomatum compendium dixeris. Et maximè quoad principia vitalia id verum eſt, ex quo ceu fonte omnia manant & dependent reliqua.

§. 4. Sin, perſpectâ ejus facie & naturâ, DEFINIRE eandem velimus, Peſtis eſt febris malignisſima & acutiſſima,

tiſſima, à fermento rarefactivo venenoſo, ſeminali, ſpecifico, latenter illato, & in principia vitalia ſæviente, producta.

§. 5. Genus eſt febris, morbus univerſalis, quo tertia pars hominum moritur, etiam extra peſtem. Utut enim communiter febrim & peſtem contradiſtinguant, non pauci, quod peſtis videatur invadere nec ſine febri, ſigna hujus ſe tam exactè ſemper exerant, morientibus ægris ὀρθοστάδην, ut plura non laudemus; Attamen ſi attendantur gradus intemperiei & malignitatis, facilè res expediri poteſt. Si hæc major fuerit, obſcuratur quaſi intemperies, neque tamen idcircò abeſt. Hinc & intemperiem malignisſimam, quam ipſi illi admittunt & ponunt, citra febrim eſſe poſſe vix videtur concedendum, cum ea ſit univerſalis, cum ſit, ſaltim reſpectivè, calida, cum in ſanguineâ maſsâ, quod citra febrim fieri nemo facilè perſuaſerit.

§. 6. Satis eſt, idem in peſte longè maximè, quod in omnibus malignis, eſſe attendendum. Non ſola ſpectanda intemperies, ſed malignitas ſeu mos hujus intemperiei, κακοήθεια, & quidem eſſentialis ac inſeparabilis. Commune eſt omnibus febribus malignis, ut quo major ſæpè malignitas, eò intemperies ſeu calor efferatus ſit minor, imò ad ſenſum & apparenter quaſi nullus. Neque in peſte ratio dari poteſt, ſecus ſi ſentiamus, quomodo alia peſtis ſit ſine febri, alia cum febri, utrobivis iisdem cauſis & phænomenis præſentibus.

§. 7. Quando ergò febrim malignisſimam & acutisſimam dicimus, hoc ipſo à FORMALI RATIONE differentiam ſpecificam notamus, quam & à causâ deſumpta reliqua inferunt. *Malignisſima* eſt, quia magis inſidioſa & ſubdola reliquis, quia majores ſtrages edit, & opinione citius necat, quia elementa vitalia ſubruit vel deſtructum it ἀθρόως καὶ βιαίως, magis timenda malignitate hâc, quàm intemperie. *Acutisſima* itidem eſt tum ob dicta, tum ob

terminum, ſeu finem, & effectum cauſæ reſpondentem. Adeò enim deſævit in corpora affecta, ut intra triduum necet; quod ſi ſuperaverint, ad acutiores declinat, ſeu ad diem ſeptimum perdurare poteſt, maximâ tamen cum latitudine; Et ultra hunc terminum progreſſa acutas denique ſimplices exprimit, ad decimum quartum diem & amplius exporrecta, quod in lue affectis toto die obſervari ſolet.

§. 8. Unà verò ſic, vel tacentibus nobis, patefit, ubinam & in quibus partibus tanquam Subjecto inhæſionis ſedem ſuam figat peſtis. Non in ventriculo, niſi adæquatè, quod ibi ſe exerat veneni vis quoque, ubi fomitem apparat pro redintegrandis ſanguine & lymphâ, quod per vaſa arterioſa, per nervos illuc maturè feratur, ut ibi putetur primitus pullulare, ubi jam fructus ſuos venenoſos exerit. Dari tamen caſus non negamus, ubi per os quoque ad ventriculum contages venenoſa fertur, ſed non ibi requieſcit, mox ulterius ad vitalem ſphæram abrepta.

§. 9. Neque concinnum videtur, ſi divulſum ſpiritum vel archeum pro ſubjecto agnoſcamus, in quem ultimatè omnis morbus reſultat; ſive ſanguinem, ſive cor hoc titulo veneremur ſeorſim, ſine iſto. Sufficienter omnia phænomena teſtantur, ipſi flammæ & luculæ vitali centraliter perniciem ſtrui, & ſpiritibus & humoribus concurrentibus. Non enim ſpiritus ſine humoribus, nec humores ſine ſpiritibus, neutri citra inſitam illam vitalem ſcintillam, ſed omnes conjunctim, ut cauſæ ſociæ & collectivè ſumptæ, verbo principia vitalia afficiuntur πρώτως & principaliter. Indeque omnes partes, quæ ex hoc fonte hauriunt undas ſuas & vitam, ſecundariò & adæquatè magis pati par eſt.

§. 10. Sin ſubjectum ſecundarium, ſeu effectuum conſequentium, luſtremus, ſpeciale illud geminum occurrit, quod non minimum ad pathologiam morbi facit;

unum

unum indefinitum, corpus totum, hinc inde, quorſum appellit ſanguis infectus lue, tum extrinſecus, tum intra viſcerum mœnia, ut de ventriculo ſpeciatim verum eſt, hinc & de aliis, pro carbunculis & petechiis quoque; alterum definitum, glandulæ, ſeri excipula & cribra propria, pro bubonibus, quorſum inguina, axillæ, regio pone aures ſpectant, & glandulæ ſubcutaneæ ipſæ, ſi extraordinariè bubones fabricet malum extra illa loca, uti nonnunquam viſum eſſe notatum eſt.

§. 11. Ortum peſtis & natales primos nemo adhucdum mortalium inveſtigare potuit inconcuſſis fundamentis, ut etiam ex eo aliquid divini elicere liceat, cujus effectum quidem, non minus ac venti, ſentimus luctuoſiſſimum, unde autem fluat, vel quorſum elabatur & tendat, non item. Tentabimus tamen ex cauſis ordinariis morborum eosdem arceſſere, poſt, quàm viderimus haſce à poſteriori collectas.

§. 12. Conveniunt omnes febres non minus ac alia morborum genera unâ immediatâ causâ, quâ poſitâ ponuntur, ſublatâ auferuntur. Differunt verò foco, loco, gradibus & adjunctis circumſtantiis aliis, quæ hanc, non illam efficiunt. Idem quoque de Peſte valet, cujus CAUSAM IMMEDIATAM, quoad effectus in corpore inde conſequentes, aſſeruimus fermentum rarefactivum, venenoſum, ſeminale, ſpecificum, uno verbo peſtilens, in actum quidem deductum.

§. 13. Fermentum dicimus tum à motu & activitate, tum immutatione. Quamdiu enim motum nondum ſortitur, cœteroqui diſpoſitum eſt, ut in corpore apto inducat, non tàm fermentum audit, quàm contagium, conveniens eſſentiâ, differens effectu, ſeu actuatione. Simul verò hunc infert, immutativum eſt, quod nempe humores alterat, & in ſui naturam commutat. *Rarefactivum*, quatenus calorem efferat, quamvis ob conjunctam malignitatem id non ſe exerat ſemper urentioribus facibus.

Vene-

Venenoſum, quia inſtar aliorum venenorum in elementa vitalia ſævit, eorumque deſtructionem ſeu reſolutionem intentat violentam. *Seminale*, utpote multiplicativum ſui & diffuſivum, quod in fermentis quibusvis quoque viſitur deſtructoriis & activioribus. Tanto magis id in vitali charactere ſignatis valet, unde ex maſsâ ſanguinis corruptâ & infectâ infinita quaſi conſurgere poſſunt ſeminia. *Specificum*, ſeu ſui generis, quo ab aliis differt malignis, ut maligna ſit quidem, à reliquis tamen vulgaribus hoc ipſo indeque fluentibus diſtincta. Specificum partim abſolutè, quoad veneni naturam in ſe, partim reſpectivè, quoad ſubjectorum & effectuum diverſitatem. Huc referri poteſt peſtis non humanæ ſpeciei, ſed huic illi, ovibus, felibus, bobus funeſta, qualia exempla hinc inde obſervantur, ob alium modum ſanguinis non tam facilè in aliam ſpeciem tranſeunte malo; ut non memoremus peſtem ſegetibus & arboribus propriam, ſubito cum tabida membris corrupto cœli tractu miſerandaque venit arboribus ſatisque lues & lethifer annus.

§. 14. His omnibus præcipuum pondus addit, quod fermentum hoc peſtilens non oriatur à concepto veneno in humoribus, prout in febri malignâ ſæpe contingit. Fieri id poteſt ab individuali cacochymiâ, ſeu labe ſanguinis & ſeri, vel concurrentibus externis cauſis, ſed ita ut nidum ſaltim ſtruant, ſeminium verò conferant nullum; vel contagio & fermento ſimili, ſi ab aliis febri eâdem laborantibus morbus exuſcitetur, quod cum peſte habet commune. Inde duplici viſenda facie eſt, vel σποραδικῶς, ſparſim hunc illum corripiens, vel epidemia. Alia verò in peſte paulò eſt ratio, quæ ordinariè nunquam ſporadica obſervatur, nec epidemia ad illum morem; illato fermento debetur, non concepto in humoribus.

§. 15. Nec oritur hoc fermentum peſtilens à concepto veneno in ſpiritibus, ut archéus faber ideam virulentam

lentam pariat, occaſione terroris panici. Non enim extra peſtem graſſantem unquam à terrore vel timore legitur genita eadem, multò minus primitus orta. Graſſante verò eâdem, id videtur quidem ſæpius, citra ullam communicationem contagis aliam, hunc illum peſte correptum, attamen ob ſubtilitatem veneni videtur, non reverà eſt idem. Formidoloſi, timidique & territi non ſemper corripiuntur peſte; nec audaces fortuna juvat ſemper, ut liberi maneant, quin utriusque exempla notata ſunt in contrarium. Sique hæc eveniunt nihilominus, ut frequentiſſimum id fatemur eſſe, terror tamen non tam genitricis, quàm obſtetricis munere fungitur.

§. 16. Enimverò peſtis ab illato in corpus veneno oritur ſolùm, illato extrinſecus per contagium, μίασμα fermentificum conſimile, vel mediatum, & ad diſtans magis, vel immediatum. Nec obſtat, id ſenſibus non poſſe deprehendi facilè, utut non rarò ſub nebulæ, ſeu fumi ſpecie, volitantis in aere, à quibusdam obſervatum fuerit viſum. Subtiliores ſunt atomi iſtæ ac particulæ, quàm ut ſenſum incurrant manifeſtè, quod in aliis morbis extra controverſiam quoque obſervatur, quorum fomes à contagioſo corpore inducitur.

§. 17. Hoc loco non poſſumus quin illam tangamus hypotheſin quorundam, non dari ullum aliquod contagium, morbumve contagioſum, quodque plures hoc vel illo afficiantur communi cum aliis morbo, id fieri potiùs ob frequentiam, quàm contagionem. Idem de peſte quoque aſſerunt. Aſt repugnant meritò utraque medicinæ fulcra, experientia & ratio. Mille teſtes vel vulgò proſtant, unicè per contagium, ſeu, ut presſiùs dicam, per converſationem, per applicationem veſtimentorum, per alios modos, peſtem, ne de aliis dicamus, fuiſſe propagatam. Imò hoc ſolum medium eſt, quo & ipſa multiplicetur lues, denſenturque funera, & imminui poſſit. Nec abludit ratio, modò non ex præconceptâ opinione illam

negemus, vel illa ſupponantur, quæ non tollunt dubium.

§. 18. Dum fermentum dicimus, ſatis id clarere poteſt, unaque illuſtrari dudum aſſerta ab aliis de contagii conditione & requiſitis, eſſe id viſcoſum & volatile, id eſt ſulphureo-ſalinum, quod omnibus fermentis eſt commune, viſcidum quoad corporaturam externam magis, volatile quoad internam; viſcidum magis actu, quo adhærere poſſit, volatile potentiâ, quando à calore nativo evolvitur & ſubtiliſatur. Quando ergò ponitur agens tale, ſeu corpus contagioſum, nec abludit medium, ſeu mediatum, ſeu immediatum, nec recipiens, ſubjectum diſpoſitum, omnia ſub ſupremi numinis directione, derivari peſtis & diffundi in plurima corpora poteſt; Et quod non omnes abſolutè inficiantur peſte, qui cum infectis converſantur, in dictis hiſce invenit fundamentum. Ordinariè enim univerſale illud periculum eſt, ſub iſtis conditionibus, etiam illis, qui ſemel iterumque jam evasêre, morbi quaſi victores.

§. 19. Si itaque cauſæ proximæ immediatæ MEDIATAM PROXIMIOREM ſubordinare velimus, hoc ipſum contagium ſufficere & exhaurire rem poteſt. Pro diverſo reſpectu immediata evadit, quando in actum deducitur, communicatur humoribus vitalibus, & proprium, individuale redditur; Mediata verò proximior eſt, ut communis ſe habens, ut mediata adhuc, nec dum ad illum gradum activitatis evecta. Idque concipi ſatis aptè poteſt, ſi penſitemus vel halitum, vel ſudorem infecti corporis, utcunque applicatum, ut migrare in aliud queat. Unctuoſitas illa viſcedinem præ ſe fert, unde nec difflari in auras & annihilari tam facilè poteſt. Quæcunque hinc corpora mediata magis apta nata ſunt, quibus unctuoſitas illa halituoſa, udor, ſudorque adhærere & inſinuari penitiùs poſſit, ut veſtimenta quæcunque, maximè pellicea, illa quoque magis viſuntur malum inferre etiam planè inſciis & audaciſſimis.

§. 20.

§. 20. Duo hîc inter alia disquiri merentur, qualenam ſit venenum ulterius hoc peſtilens, & unde ſuam mutuetur originem, vel affinitatem. Illud optimè determinare poterimus, ſi comparemus inter ſe ſimilia, quorum eadem eſt ratio, venenum peſtilens cum venenis aliis, quæ triplicis, quoad materiam, in univerſum ſunt generis, vegetabilia, animalia & mineralia. Illa cumprimis vaporoſitate narcoticâ, hæc corroſivitate, media fermentificâ vi infamia ſunt. Aſt in peſte affectis non uniusmodi ſunt phænomena conſpicua, aliis in ſomnum abreptis, aliis vigilantibus, his bubonibus, aliis carbunculis affectis, ut plura non huc arceſſamus. Ex quo efficitur, in omni quidem peſte eſſe venenum fermentificum malignum, utpote in ſubjecto animali reperibile, quod per ſe quoque ſubruere vitam aptum ſatis eſt, huic verò acceſſoria fieri reliqua, adeoque quod usquam venenoſum reperiri in macrocoſmo poteſt, id in peſte dari poſſe, omnium venenorum apice & compendio.

§. 21. Unde verò ſcaturiat hoc ipſum ſpecificum venenum, disquiri meretur, ſi quid aliud. Non incongruum fuerit hoc ſcrutari ad normam aliorum morborum, viſis ſingularum cauſarum fontibus. Hanc in rem liceat nobis diſtinguere peſtem in fientem & factam, ſeu genitam & propagatam. Ad fontem usque progrediendum fuerit, ſi rivi cujusque originem inquirere mens ſit. Quæ Germaniam nuper vexavit dira lues, non in Germaniâ genita fuit, ſed propagata, non fiens propriè, ſed facta, quamvis hoc illo loco, non inquirentibus curioſius, obſcura fuerit illata contages. Hinc epidemia lues eſt, non facilè endemia, quod noverimus, niſi per accidens.

§. 22. Aliunde dum infertur peſtis, ſtatuendum eſt aliquod πȣ̃, primus locus natalis, ſi quidem naturalia ſectemur principia; ſive ille locus fuerit iterum primus, ſive talis viſus. Referunt enim Orientis ſcriptores Cairi & aliis urbibus majoribus perpetuam quaſi peſtem eſſe, un-

de diſſeminari per commercia labes poteſt haud difficul-ter. Aſt cum nec loci vitio eſſentiali id contingat, nec venenum morboſum connatum quaſi fuerit reliquis, ortum cum aliis morbis ſine dubio habet, ſaltim ſecundum quid, communem.

§. 23. Si dicere volumus, quid ſentiamus, peſtis origo derivanda videtur ex ipſo homine, tanquam nido morborum propriorum genuino, ita, ut ex febrium mali-gnarum colluvie, & veneno vires ſumente hoc omnium diriſſimum enaſcatur, & hinc vires ſumat eundo, concur-rentibus & velificantibus reliquis cauſarum generibus, pro ſuo modulo.

§. 24. Ne id gratis aſſeramus, penſitemus in cor-pore humano ex corruptis humoribus gigni malignita-tem, etiam in ſanis aliàs viſis, nec enormi ſemper errore diætæ prægreſſo. Nullo quaſi non tempore malignæ fe-bres hic illic graſſantur, etiam gradu venenoſitatis non minimo conſpicuæ, cum petechiis, imò, quod vidimus, raris licet, parotidibus, cum aliis exanthematibus. Poſito tali fermento rarefactivo febrili peſſum eunt ſeu periculum ſubeunt maximum humores vitales, unde malignitas ma-jor, minorve, ſæpe ſaltim à poſteriori progignitur. Magis igitur peſtis origo elucere poſſe videtur, ſi cum febribus malignis comparetur, quarum non minus apex eſt, quàm cum venenis aliis.

§. 25. Dari verò caſus, ubi loco minoris majorisve malignitatis maxima generari poſſit, triſtis teſtatur expe-rientia, ſive annonæ caritatem penſitemus, & comeſta pe-regrina, jubente neceſſitate, potaque varia abſurda & cor-pori inconvenientia, unde illud vulgatum μετὰ λιμὸν λοιμός; ſive communem omnium radicem, bellum, quod poſt ſe trahit utrumque frequentiſſimè. Quis dubitaverit exor-tam ſuperiori Germanico - Suecico bello ex hâc cauſâ non ſemel peſtem, & in Germaniâ natam primitus, acceden-tibus cumprimis reliquarum cauſarum votis, obſtetrican-

tibus

tibus contagio, & triſtibus caſibus aliis? Facit huc neglectus morbus, ſive per incuriam, ſeu potius per paupertatem, uno hoſpitio degentibus pluribus, converſantibus domeſticis, non minus ac aliis, cum ægrotis promiſcuè, ut taceam neglectam purificationem conclavium, veſtimentorum & ſimilium, quibus provehi ulterius *μιάσματα* poſſunt. Adeoque & hoc loco ex quibus vivimus & nutrimur, ex iisdem morimur.

§. 26. Semel hinc ad gradum & ſphæram illam ſummam morbus perductus, nec domitus, vel agnitus, continuatur facilè, & deſævit in alios, etiam diſſitiſſimos, perlatâ illuc per commercia labe contagioſâ, & archéo in ſui perniciem ovula illa peſtifera, ut ſic loquamur, excludente fotu & calore ſuo, vero hydræ Lernææ exemplo. Ita incautos corripit, & prius ſæpe necat, quàm cognoverint ſe ab hoſte cæſos vel impetitos. Diffuſivus enim calor & activus eſt, receptum ſecum in viſcerum culinas venenum mox novis fomentis adaugens & multiplicans.

§. 27. Utut itaque & arſenicalium & aliorum venenorum virus illuſtrare peſtiferi veneni vim egregiè poſſit, ſimile tamen non eſt idem, nec per omnia quadrant inter ſe phænomena aſſumpti in corpus veneni iſtius & peſtis. Eſt in corpore id ipſum omne, quod extrinſecus arceſſis, modò fermentum corruptivum vitales humores immutet. Quid enim ſunt carbunculi, quàm ſummus inflammationis à ſanguinis acrioris eccentrici *ςάσει* gradus? Quid bubones, quàm tumores glandularum à ſero acriori ſtagnante, nec decenter promoto? Quid petechiæ, quàm ſtigmata conceptæ uredinis malignæ, ut plura non laudemus?

§. 28. Et unde, quæſo, tantum virus arſenicale, napellinum, mercuriale, aliudve derivari poſſet, ne effectum diverſum urgeamus? Quin obſervatum potius nunquam eſt, illis locis, ubi ſcaptenſulis ſuis mephitis illa venenoſa ſpirat, vel effoditur & tractatur elaboraturque arſeni-

cum, ejusque minera & ſpecies, peſtem inde exortam, ſed contrarium potius, loca illa, cæteris paribus, magis à peſtilenti infectione liberiora eſſe, & eatenus ſalubriora. Præſtò ſunt in corpore ſalia, præſtò ſulphur, præſens calor, ſummè activa ſingula, & evolvenda in ſublimiorem morboſam orbitam, per naturam, extraneo fermento laudato illato & ferociente.

§. 29. Ex Rebus Naturalibus facere huc poſſunt, ſed remotè admodum, Temperamentum bilioſius, & ſalibus magis fœta alia, ut & Habitus Corporis, ſeu ſqualidus, ſeu obeſior, quatenus vel fomitem invenit contages majorem, ut deſtructiva ſpicula infigere & accendere præſentius poſſit, vel tranſpiratio citatior magis actuat obvium μίασμα. Eadem ratio eſt Ætatis juvenilis. Omnia hæc parum vel nihil ad peſtem producendam, vel inferendam potius, conferunt, niſi quatenus ad privatam peſtem, febres malignas puto, corpus aptius monſtrant, inde & ad publicam, noſtram hancce, mage diſpoſitum.

§. 30. Si enim illam tantummodò peſtem publicam habere velimus, quæ univerſali aeris infectione ſit infamis; privatam, quæ ſalvâ aeris puritate graſſatur, non dubitaverim aſſerere, talem omninò non dari. Eſt in perpetuo motu aer non minus ac aqua, idque tantò magis, quo ſubtilius & levius eſt elementum, facillimè agitabilis. Privatam potius dicimus, quæ, ut *Pſaltes* canit, in tenebris graſſatur, i. e. inſidioſè hunc illum, nemine advertente quaſi, vel tamen non tam manifeſtè, corripit. Publicam, quæ in meridie, id eſt, palàm, aperto marte, publicitus vaſtat, & ſtragem edit publicam, ut prior illa, ſub febrium malignarum nomine veniens, privatam.

§. 31. Et hîc locus eſt differendi quoque de causâ peſtis aſtrali. Vulgus aſtrologorum non minus ac aliorum hoc ſibi habet perſuaſiſſimum, peſtem inferri ab aſtris, ab infauſtis aſpectibus, ſignis, ecclipſibus, conjunctionibus,

bus, quadraturis, oppoſitionibus planetarum & fixarum. Quaſi puriſſima ſidera, igneæ naturæ & lucidæ, peſtis ſeminariis toto cœlo adverſæ, hanc humano generi inſpirent labem. Sanè tum hoc in paſſu, tum aliis ſimilibus mirandum eſt, Chriſtianos non averti poſſe ab Ethnicâ Chaldæorum ſuperſtitione, & aſtra incuſare innoxia, non advertentes aſtrorum Dominum, quem illi ignorabant. Summa & dolenda hæc eſt idololatria, modò præconceptis opinionibus animus vacet. Annon enim, per Deum immortalem, ipſiſſimos Ethnicorum Deos, Saturnum, Jovem, Martem, Apollinem, Venerem, Mercurium, Dianam in ſolium numinis locamus hoc ipſo, dum effectus adſcribimus ipſis planè non convenientes.

§. 32. Habet ſuum uſum ut aliàs, ſic & in medicâ arte aſtronomia non minimum, quatenus vita macrocoſmi & microcoſmi in calido & humido conſiſtit, hocque ab illo modificatur & alteratur ſuo modo; ſed remotius, nec niſi archeo harum illarumve partium vacillante, unde humidum vitale imperium exuit aliquatenus, & alienum ſequitur. Alia longè in peſte eſt ratio. Inconvenientius adhuc fuerit, ſi univerſalem illum afflatum peſtiferum, quem putant, certis locis fœnerari velimus, quod dominentur & præſint his illis climatibus, velut Patroni, certa ſigna Zodiaci, mirum quod non planetæ, quorum vota longè majora ſunt. Sed omnibus imperitare horum erat.

§. 33. Quod itaque Aerem concernit, ratum illud per hodiernam experientiam accuratam eſt & manet, contagium peſtilens non hærere immediatè in aere ſolo, quamvis contagii vehiculo, ab eoque dependere, quod ſatis tractus morbi declarat, non tam illuc latus, quò aer, quàm effluvia. Negari tamen nequit, & alterum experimentum, aerem his illis locis motum, frigidum & ſiccum, cumprimis Aquilone ſpirante, peſtem ſimul ac ſemel menſibus hybernis ſuſtuliſſe; humidiori verò & auſtrino ſtatu

magis

magis ſæviiſſe eandem. Ex quo illud colligitur, habere inter ſe quandam communionem aerem, & auram peſtilentem, ut & propagari ab eo magis, & extingui, jubente quidem ſupremo numine, poſſit. Neque tamen promiſcuè aere frigido emoritur peſtis, ſed gradu intenſiori gaudens, ut & in eo τὸ θεῖον deprehendere liceat manifeſtè.

§. 34. Cibus & Potus quomodo ad peſtem gignendam concurrant, jam adduximus, eâdem verò graſſante ſæpenumero occaſionalem cauſam & hæc conſtituunt, ſive defectu exhauriatur corpus viribus, ut reſiſtere minus poſſit; ſive exceſſu accumuletur cacochymia, gravato ſic corpore & ad reſiſtendum minus apto archéo. Panis calidi uſu viſum fuit non rarò attractum quaſi μίασμα peſtilens & in corpus derivatum. Æſtivo tempore fructus ætatem non ferentes, largius comeſti, dum cacochymiam congerunt, corpus ad ſuſcipiendum contagium magis aptant. Facit verò victus ratio & alia in cauſarum morbificarum claſſe ambulantia etiam illo pacto ad peſtis productionem, quatenus morbos alios in corpus inferunt, quorum conſortio peſtis apprimè gaudet. Et hæc ratio quoque eſſe poteſt, cur tempore peſtis reliqui morbi omnes quaſi ſileant, quod nempe & aeris ſtatus ſuo modo concurrat, & inde hic potius tunc temporis, quàm alius quivis foveatur; quique ex individuali vitio oboriuntur, acceſſione contagii in peſtem abeant, quam comitem adſciverant, morbo, ceu lumine, majori obſcurante minorem.

§. 35. Idem valet de aliis quoque. Somnus & Vigiliæ invitant morbum remotius, quatenus exorbitationem archéi inferunt & principiorum vitalium. Motus nimius laſſando; Quies torporem inferendo ſpiritibus conferre aliquid poteſt, per accidens & ſecundariò, quod de omnibus ſimilibus valet, ut Excretis nimiis utilibus, Retentis oneroſis inutilibus. Utque maxima vis eſt ſpirituum in tutandis vel deſerendis corporis viri-

viribus; ita Affectus quivis Animi graviores huc faciunt, maximè qui à circumferentiâ ad centrum rapiunt humores, ut ſtationes ſuas deſerant excubitores extremorum, hoſtique fugâ ſuâ liberiorem nidulationem concedant. Puerperæ, gravidæ, menſtruatæ facilius vel corripi ſolent, vel correptæ interire, quod muniis debitis præeſſe minus poſſit tunc archéus, in rapinam morbi facilius cedens.

§. 36. Tacemus, quæ de ſagis, carnificibus, libitinariis recenſentur, quod exectis carbunculis & bubonibus augere funera vel peſtem excitare dicantur nonnunquam. Illa enim vel ſeminium ipſum fermentificum ita aptant, ut affici prætereuntes per naturam veneni poſſint, vel ex pacto diabolico etiam ludicra adhibentes nocent tamen, armantes ſic hoſtem capitalem, ut nocere poſſit infra hominis quaſi potentiam hoc experimento poſitus, modò ipſe velit, nec dedat ſeſe aliosve illius libidini, in quantum ſuperior vis permittit.

§. 37. Operæ pretium fuerit etiam Differentias peſtis luſtrâſſe breviter. Quamvis verò non unius videatur generis eſſe ſæpe, ſed aliquid novum, inſolitum, & prius non viſum in hâc illâ occurrere; attamen eandem ludit fabulam peſtis, ac morbi alii quivis. Imò longè diſtinctius noſcenda, quo arctioribus acutiei, & brevioris durationis, cauſarumque includitur terminis. Quæcunque occurrunt differentiæ, unicè propemodum fuerint deſumendæ ratione *ſubjecti* tum individualis & totius, tum particularis, hujus vel illius membri. Idem agens morboſum diverſa effecta ac phænomena ſortitur hoc loco, non quod tot ſpecies ſint diſtincti veneni, tot cauſæ lædentes diverſæ, & frequenter ſibi velut è diametro oppoſita ſymptomata; ſed quod tot modi ſanguinis, tot modi fermentorum modificatorum, tot partes ſuſcipientes virulentum ſeminium.

§. 38. Signa ergò ſpectemus potius, quibus de-

prehendi beſtia inſatiabilis poſſit, tanquam ex ungue leo. Essentiale peſtis eſt malignitas ſumma, acuties ſumma, contagium ſummum, quæ tria ſe invicem ponunt & illuſtrant, ſub febris larvâ conſpicua. Quæcunque enim febrium malignarum ſunt ſigna, eadem & peſtis, cum quâdam tamen differentiâ ſpecificâ. Sunt enim hæc vel communia, vel diverſa, ſeu potius ſpecifica & propria. *Communia* ſunt, ægrum corripi horrore levi, imò leviſſimo etiam ſæpe, nonnunquam etiam majori paulò; inſequi *δυσπαρέστησιν, ἀνωμαλίαν, inæqualitatem*, quæ malignitatis eſt propria, ſigna ſibi non correſpondentia, calorem ſubdolum, pulſum celerem vel frequentem, dolorem capitis, anxietatem, reſpirationem difficilem, vires dejectas, ſitim, vel etiam ejus defectum, proſtratum appetitum ciborum, vigilias, in aliis ſomnolentiam, deliria & alia.

§. 39. Hæc omnia, quæ inſtar aliorum eſſe queunt, communia habet peſtis cum ſui generis febribus malignis, ſed gradu intenſiori & peculiari charactere ſigillata. A priori quidem, ſi communiter jam graſſetur morbus, quocunque quis corripiatur ſymptomate, peſtem eſſe cogitet, vel latentem præcaveat ac attendat, etiamſi vel ipſe ſibi ſic ſatis valere videatur, viribus aliisque actionibus apparenter adhuc ſibi conſtantibus, tanto celerius hinc dejiciendis. Sin aliunde illata veſtimenta, ſuſpecti ingreſſi ex loco vicino aliove infecto occaſionem dederint, inſidioſi hoſtis conjecturam facere oportet. Si prius feratur mortuus æger, quàm ægrotans, ſaltim periculosè; ſi morbus terminum ſervet acutisſimæ peſtis proprium, intra triduum vel quatriduum ad ſummum necet, mox abeat ad plures, quanquam inducias videatur largiri & moram trahere aliquam, iidemq; communi ſtrage & ſorte decumbendi eâdem intereant, vel ſi aliam experiantur paulò fortunam, dilato ad dies plures morbo, eundem tamen poſtea offerant, peſtem eſſe arguendum eſt.

§. 40. Confirmant idem exanthemata majora & minora,

nora, ſeri & ſanguinis corrupti & infecti characterem præ ſe ferentia, bubones, carbunculi, petechiæ, ſerius ocyus erumpentia, quæ eſſentiam conſequuntur magis quàm conſtituunt. Plurimi enim moriuntur prius, quàm feralem præconem morbus ad extimam veſtem miſerit, unde non valet, nullus in corpore repertus fuit bubo, nullus carbunculus; Ergò non peſte mortuus fuit æger. Vis morbi ſæpè major eſt, ut prius necet, & vitalem flammam ſubruat, quàm erumpat in nervum foràs.

§. 41. Speciatim hanc illam partem ſedem eſſe furentis veneni illuc amandati, ex locis affectis patet. Ubi dolor, tumor, læſio actionum, ibi morbus, non radicaliter puta, ſed per κοινωνίαν, adæquatè. Vomitus, ophthalmia, mictus cruentus, alvi fluxus, dyſenteria, motus convulſivi, cardialgia, deliria, & nulla non alia id ſatis edocent. Non aliter ac ignis, quocunque loco arſerit, celari neſcit, ſed furit, deſævit, peſſundat, convertens in ſui naturam obvia objecta quælibet, & impertiens nomen ſuum cum ſubſtantiâ. Bubones glandulis inſidentes exterius magis prominent, carbunculi non ſolùm in corporis ſuperficie, ſed & interius viſi ſæviiſſe, cauſa ſæpe ſymptomatum ſeſe magis exerentium. Cauſæ reliquæ humorales ſtant poſt principia, paſſivè ſe magis habentes, immutatione ipſis inductâ potius, quàm inde derivatâ.

§. 42. Quod reſpectiva & Prognostica ſigna concernit, verè hîc valet illud Hippocraticum: In morbis acutis non eſt certa prædictio vel ſalutis vel mortis, puta quamdiu proportio archei & morbi menſurari curatius nequit. Hic omnibus contrà atrox, funeſtus, lethalis eſt, quo plurimi moriuntur, pauci evadunt. Et illi quidem peſſimè degunt, qui mitiſſimè habere ſe putant, latet enim anguis in herbâ, & tantò ſævior morbus, quò magis ipſum mali ſenſum archeo demit. Una ſalus in diſploſione veneni in corpus hauſti, quod per inſenſibilem tranſpirationem rarò, frequentius per ſudorem fit, & καῖ ἀπόστασιν per

bubones, unum vel plures, locis ignobilioribus erumpentes.

§. 43. Æſtimandi hi ſunt eruptione maturâ, protuberantiâ, colore, more, εὐφορία, numero, morâ decenti, & aliis. Diſſipantur nonnunquam per bezoardica; qui ſuppurantur, poſt hos meliores; pravi duri, rebelles, ſcirrhoſi, quique non levant. Meliores hi carbunculis, utrisque ſæpe non cedunt maculæ. Ex his fundamentis omnes ſunt dijudicandi, unde mali quoque & bubones & carbunculi ſenſim areſcentes, colore livido vel nigricante viſendi, ut naturali ſtatui propiores contrà habent.

§. 44. Vitalis facultas benè habens in pulſu, reſpiratione & calore, etiamſi p. n. & febrili, viribusque, benè ſperare jubet, cæteris tamen paribus. Neque enim pulſus naturali reverà ſimilis, de quo in vulgus abiit proverbium, facilè occurrit in peſte, eâdemve malignius decumbentibus. Æqualis, celer & magnus melior eſt longè frequenti, debili, vel raro quoque. Somnolentia, vigiliæ, deliria, medio modo ſe habent; motus convulſivi peſſimi. Appetitus bonus viſus vix aliquid boni notat; ſitis præſens melior eſt abſente, vomitus, alvi fluxus, ardores, cardialgia, anxietas, inquietudo utplurimum malè cedunt. Hæmorrhagia ob acrimoniam venenoſam rarò critica eſt, frequentius ſymptomatica & peſſima. Pejor vomitus & mictus cruentus, deſperatum ſignum.

§. 45. Videas tamen mori frequenter cum optimis ſignis, citra apparatum horum illorumve ſymptomatum obviorum. Nec quartanarii, lue venereâ, ſcabie infecti adeò tuti ſunt, quamvis excernicula ſeri ichoreſcentis facilius monſtrent viam archeo, quod & de fonticulis valet. Animi deliquia, frigus extremorum, excreta per alvum vel os fœtida, nigricantia, peſſimum præbent omen. Reliqua cum febribus malignis ſunt communia magis, quo loco & æſtimanda βαρυκοΐα, bonum ſignum, ſi cætera conſentiant.

§. 46. *Tempus eventus* morbi ſibi relicti ordinariè

eſt

eſt breve. Si tertium vel quartum diem ſuperaverit æger, morbus in peracutos abit; ſin ſeptimum, in acutos, & ſic porrò, non quidem abſolutâ ſpe evadendi & certæ jam exurgentis ſalutis, ſed reſpectivâ tamen, melius armato & ſubſiſtere diſcente archeo. Viſuntur tamen plures mori etiam citius, partim violentiâ morbi tam heroici, ſi ita vocandus eſt, partim fallaciâ, cum initium haud rarò putetur, qui finis eſt. Sin terminum acutarum, ſeu quatuordecim dies ſupergreſſus fuerit, quod tamen quoad bubones ferè magis valet, etiam longius productos, roborato archeo, etiam ad quadrageſimum nonnunquam producitur.

§. 47. Terminatur ad *mortem* reſolutione magis, quàm ſuffocatione, ſubrutis principiis vitalibus, & fatiſcentibus viribus, ne putante ſæpè ægro, leviſſimo fato abrepto. Ad *ſalutem* disjecto veneno, vel per ἀπόςασιν ad littus corporis ejecto. Spes dubia certâ pernicie potior eſt. Melius eſt bubonem, quàm ſudorem morticinum erumpere, modò archeus par ſit ferendo oneri, & oppugnando hoſti, in cujus robore, favente Deo, unica ſalus & vitæ ſpes inchoandæ reſidet.

§. 48. Reſtat potisſimum Curatio, tum præſervandæ, tum actu tollendæ peſti intenta. Turpius ejicitur quàm non admittitur & hic hoſtis, unde prima ſemper hujus adhibenda eſt cura, ne morbus accedat & impetat hunc vel illum ſeu locum, ſeu hominem; altera, ut in primâ herbâ ſuffocetur. Præſervationis omne fundamentum, ſi cauſas naturales, poſt Deum, attendamus, conſiſtit in contagii amotione. Cùm enim morbus ſit omnium contagioſiſſimus, omnia illa quæ mediatè vel immetè illud continent, ac inferre poſſunt, quantum licet, vitanda ſunt.

§. 49. Optima hinc eſt fuga, quorum non intereſt ratione officii & conſcientiæ remanere, & prius quidem id facere debent, quàm ipſi jam ſeminia hauſerint conta-

gis, & ſibi & aliis nocituri magis. Optimum, ut commercia interdicantur publica cum infectis locis, nec admittantur ex urbe, domo, pago, lue hâc laborante, quæcunque, niſi indubitatâ fide, morbum penitus ſublatum, nec ſupereſſe ullum ſeminium. Et quæ perferenda nihilominus fuerint, ut literæ, prius igne & ſuffitibus expiare fas eſt. Utut enim ex domibus non infectis nullum ſit periculum timendum, in dubio tamen & hîc tutiorem ſequimur viam.

§. 50. Utque eò melius caveantur hæc *μιάσματα*, unicè ex infectis ægris oriunda, non tantùm corpora materiata arcenda ſunt, cumprimis veſtimenta, ſudore venenoſo infectorum ipſo, vel effluviis tamen ſimilibus, imbuta, imò quoque bruta, feles, & homines ipſi eâdem domo verſati; ſed & commune omnium pabulum aër tutandus & corrigendus eſt.

§. 51. Proximum enim eſt, cum, illatâ in civitatem labe, (aliàs enim id fruſtrà fuerit,) non tàm exactè caveri poſſint omnia, quin ipſe aër vehiculum fiat, in proxima loca deferens ſeminia venenoſa, ut illa ſtudiosè adhibeantur, quæ infringere ac annihilare eadem, ſicque præſervare ſanos, contrà ea verò armare & roborare archeum norunt. Ita ignis eſt deſtructor ſeminum genuinus & certiſſimus, conſumens eadem penitus, ex quibuscunque demum focus ſtruatur. Omnia enim *Φλογιστὰ* pollent ſulphure & ſale volatili acidove. Hinc ſuffitus ſicci ex iisdem, pulvere pyrio & ſimilibus; humidi verò ex 🜊to ſimpl. rutaceo, bezoardico, lateribus affuſo, modò non affectus pectoris, aſthma, tuſſis, aliaque horum uſum contraindicent, eximii ſunt.

§. 52. Hæc uti aërem ipſum in motum cient & disjiciunt inhærentes moleculas, unà vero putredini, & verminoſæ quidem ipſi, ſunt contraria, archeo amica; ita amuletis ſolis minus fidendum eſt. Quamvis enim ☿ius appenſus vivus, rad. colchici, magnes ♂calis, camphora, trochi-

trochiſci de bufonibus, xenexta &c. effluviis ſuis poſſint aërem alterare, & lymphæ torporem excutere, ne στάσιν peſtiferam concipiat tàm promptè; major tamen laus debetur internis, ut ſi maſticentur ore coſtus arab. myrrha, balſamum vitæ genuinum, rad. carlinæ, angelicæ, zedoariæ, vel aſſumantur 🜍i bezoardicus, eſſentia bezoard. ♁ bezoardicum, pulveres præſervativi ex bezoardicis aliaque. Et in his quidem illud obſervandum fuerit, ut, cum maxima pars pauperum ſit, pretio non excedant, & diſtribui inter plures poſſint, & variis formis aptari. Talis eſt pulvis præſervativus noſter, ex *ſpec. liberant. ſ. al. rad. angel. zedoar. carlin. contrajerv. cort. citr. bol. armen. myrrh. elect.* ex quo etiam omitti contrajerva & coſtus arab. addi poteſt, indeque parari electuarium, rotulæ & alia. Tacemus *pilulas antipeſtilentiales de tribus, elixir. propriet. camphor. theriacale, bezoardicum*, vel ſolâ mixtione tale reddendum, & alia hinc inde deſcripta.

§. 53. Curatio verò ex hactenus laudatis & febrim quidem reſpicere debet, more aliarum ſimilium, maximè tamen expugnando & disjiciendo fermento venenoſo occupari, (ſeu vaporoſum, ſeu corroſivum, ſeu immutativum magis fuerit in effectu) in vitalia recepto, quantum fieri poteſt, ne peſſundet eadem, ſed ſubjugetur ab archeo ac vincatur, ex quo fundamentali axiomate facile judicium de præſidiis huc quadrantibus fieri poteſt.

§. 54. Venæ Sectio nullum malignitati, quà tali, decrementum infert, nec virulentum miaſma tollit, quin ſanguinem depauperando eò majores iſti vires largitur, quò minores reddit corporis. Unde eam funeſtam experti ſunt non pauci, qui in mittendo ſanguine ſpem poſuerant non paucam. Sin febrilis calor illam urgeat & morbi genius, cum plenitudine onerosâ, cum inflammatione faucium, & ſimilibus, admitti aliquando poteſt, ſed in principio, ſed parcè, & in vaſis minoribus, urgentibus hæmorrhagiis, vel deliriis, viribus conſtantibus, circum-

ſpectis-

ſpectiſſimè. Idem dictum ſit de CUCURBITULIS cum ſcarificatione, quæ & in peſte & in febribus malignis exolevêre. Nec ſiccæ etiam dolorificæ bubonibus æquè & promiſcuè conveniunt, quod magis advocent humores, quàm digerant, vel diſſlent.

§. 55. Melius ſe gerunt ichori maligno debita VESICATORIA, tum nuchæ appoſita ac pone aures, tum brachiis & pedibus. Ita enim & revellunt ad extimam veſtem malignum humorem, & archeum admonent ſui officii, non minus, ac lympham ipſam ventilant, & torpore excuſſo in motum vitalem cient. Proſunt enim non ſolùm generali uſu ad divertendum & eliciendum venenum, ſed & ſpeciali in doloribus capitis, deliriis, convulſionibus avertendis & leniendis, in ſomnolentiâ quoque ipsâ profligandâ, probatisſimæ virtutis, in adultis & pueris ipſis, unde & directo uſu ſtatim in principio applicata ſunt ſæpe feliciter. Specialisſimum uſum præſtant eadem bubonibus apparentibus impoſita, repetita quoque pro re natâ. Sic enim correctâ ςάσει emollientia hinc impoſita melius prodeſſe poſſunt.

§. 56. Habent etiam uſum ſuum ferrum & ignis ad peſtis curam. FONTICULI magni fiunt communiter ad præſervationem; aſt fidere iisdem nemo auſit. Quicquid faciunt, præſtant amandando ſenſim ichorem foràs, ne ſtagnans vitium tam facilè capiat. Inuſtio vel exciſio carbunculorum, in Viennenſi peſte uſitata, crudelis quidem eſt, & hæmorrhagiæ largioris metum incutit: aliquando tamen & hoc loco enſe reſcindendum eſt corruptum, ne pars ſincera trahatur. Omittimus ſectionem, neceſſariam pro aperiendis bubonibus maturatis, & quæ alia ex his loculis uſus ſuggerit.

§. 57. LENIENTIA & PURGANTIA aliis potioribus ſubſtant, minoris in peſte uſus. Cum enim rarò diarrhœa tunc ſit critica, ſed frequentius mala minetur, indicio corroſivitatis humorum majoris, cumprimis bilis;

contra

contrà ea verò reſpectivè melius habeant, quibus alvus adſtricta eſt, hæc quoque in praxi attendere oportet. Novimus qui ad plures dies cum ſucceſſu hanc inertiam, ſi quæ adfuit, neglexêre, vix niſi ſuppoſitoriis ſtimulatâ alvo. Satis ſit, purgantia peſti minus convenire, &, ſi horum uſus urgeat, ob adſtrictionem, ob cacochymiam, illam tamen indicationem eſſe ſecundariam, quæ primariæ alteri cedat. Quin facillimè his dejici poteſt archeus, acrimonia augeri, fermentatio intendi & ſic conſequi hypercatharſis, virium dejectio, mors ipſa. Adeoque non temerè purgandum in curandâ peſte; alia autem ratio eſt præſervationis, ubi balſamica aloëtica, quæ felicius ſumi ſolent ante cibum, & alia præſtò ſunt. Clyſteres & laudata ſuppoſitoria officium faciunt. Si quid amplius faciendum, leniora, ſennata, & benigniora ἐκκοπρωτικὰ, *extract. aloes laxat.* cum bezoardicis, *ſpec. diaſen.* ♀*reæ* &c. ſuffecerint.

§. 58. Vomitoria tutiora deprehenſa ſunt tum leniora in genere, tum inprimis ⊕lata. Illa quidem, quod bilioſa amurca ſæpe in primis viis hæret, in mineram & augmentum veneni cedens, quâ per emeticum lenius ablatâ, brevi morâ, anxietas levatur, & bezoardica liberiorem operandi vim ſortiuntur. Hæc verò, quod tonum ventriculi & lymphæ reſpiciant, roborato elatere, quem citaverant, roboratâ lymphâ, quam eduxerant. Neque aliâ ratione forſan profuerint ⊕lica, à quibusdam felici empiriâ in curam peſtis adhibita. Dari tamen & hæc cum alexipharmacis aptis amant, ac non ſine cautelâ debitâ.

§. 59. Diuretica itidem directo fine minus in peſte conferunt, niſi quatenus cum alterantibus conveniunt, uti nitroſa apprimè ſe gerunt, & ex his ⦶ ♁*iatum*, *arcan. duplicat.* & ⦶ ⊕*latum*; & ardor urinæ, vel iſchuria faceſſant negotium, quod non paucis accidit, latente ſæpe intus carbunculo, ubi ▽ *cerefol.* inſtar omnium eſt, cum

♄iatis, ocul. ♋ & *bezoardicis* remixta, uti & utrique intentioni communia locum habent, v. g. *eſſent. fulig. volat.* ⊖ *volat. ſuccin. liq. C. C. ſuccinat. M. S.* & alia.

§. 60. Ipſa verò SUDORIFERA, vel ex his potius BEZOARDICA, utramque abſolvunt in peſte paginam, interpolata cum alterantibus. Cum enim μίασμα ſeu fermentum venenoſum ſalino-ſulphureum, ſepticum, corruptorium, lymphæ maximè immerſum, improportionem maſſæ ſanguineæ, rarefactionem vitioſam & partibus glandoſis ϛάσιν inducat, unà verò humorum vitalium & ex his ſcaturientium reſolutio, quæ in aliis febribus malignis ſucceſſivè infertur, hîc magis ſubitanea & violenta ſit, unica ab his, ſub divini numinis auſpicio, ſalus expectanda eſt. Hæc enim putredini ſtrenuè obviam eunt, partes ſanguinis balſamicas tutantur, ſeri & ſanguinis ſtagnationem & torporem promovent, excuſſo ſimul ſalino, acri, corroſivo ſtimulo, ne vel in coagulum fatiſcat, vel hîc illic reſtagnet in glandulis, vel ad certum aliquem locum inflammationem derivet, adeoque reſolutionem ſanguinis & ſeri quovis modo impediunt.

§. 61. Probatiora ex bezoardicis ſunt ♎ *viperar. eſſentific. C. C. eboris*, eorumque ⊖ *volatile* probè depuratum, ne ob partes oleoſas feriat caput, *liquor C. C. ſuccinat.* & cum hoc factum *elixir propr. eſſentia* & ℞*a bezoardica eſſentificata, volatilis, mixtura ſimpl.* ♎ & *eſſentia theriacalis, electuar. Orvietan. diaſcord. theriac. mithridatium*, cautius tamen præ reliquis, *electuar. de ovo, theriaca cœleſtis, pulvis præſervativus, bezoard. Senn. Pannon. ruber, Mantuan. ſpec. liber. de hyacinth. mag. ſpin. viperar. C. C.* ♄ *diaphoret. bezoard. min.* ♂*le,* ☉*lare, flor.* ♀*ris, lap. bezoar or.* & *occ. lap. cord. Indic.* ℅ *bezoard. arcan. dupl. Mynſicht.* ▽ *flor. ſambuc. bez. acac. citr. ſcorzon. bezoard. Rulandi, prophylact. decoct. hord. c. C. C. ſcorzon. flor. cord. pom. citr.* ♎ ◐ *d.* &c. non omiſſis nervinis *caſtoreo, ſpecif. cephal. anodyniſq;* ipſis, providè remixtis, habitâ diſtinctione ſymptomatum, individuorum & remedio-

mediorum ipſorum, maximè verò indicantium, nec neglectis ſymptomatibus urgentibus, quibus è ſuis fontibus ſatisfit; habitâ tamen ſemper ratione malignitatis, nec neglectis hinc vel omiſſis etiam in aliis bezoardicis.

§. 62. Danda ſunt hæc talia maturè, ad difflandum vel expugnandum fermentum venenoſum, injuncto ſudore, repetenda ſingulis tribus, ſex, octo horis. Cavendum tamen eſt, ne nimio ſudore exolvantur vires, vel parciori non excutiatur torpor ſero, vitatis extremis. Calidiora in æſtu majori & efferatione, in gravidis, rarioris texturæ corporibus & aliis minus ex uſu ſunt. Præſtat interpolare ſibi invicem temperata cum volatilibus & mediis. Urinoſa & ſimilia longè activiora acidis, non tamen promiſcuè altera alteris anteferenda. Eſt ſuus & acidis uſus in calore exuperante & rarefactione nimiâ, in hæmorrhagiis, ubi volatilia alia minoris ſunt virtutis; unde prudentiâ opus eſt, nec indifferenter omnes acidis vel volatilibus tractandi, ſed variandum pro malignitatis genio. Ita oppugnanda malignitas, ne negligamus intemperiem; ita hæc tractanda, ut potior ſemper habeatur ratio malignitatis.

§. 63. Atque ſic non omiſſis roborantibus, diluentibus vel refrænantibus, cumprimis bilem ſimul attendendo, quæ acrimoniæ illius venenoſæ characterem exprimit facillimè, nec temerè nec timidè tractandus morbus, eâdem cum febribus malignis methodo, ſed longè majori prudentiâ & vigilantiâ, nunquam fidendo fallaciſſimo hoſti. Quem in finem & externa, balſama antilœmica, litus, ex *~ rut. ſambuc. camphor. C.C.* ad dorſum, pulſus, tempora, cum *ſpec. pro epithem. cord.* & *aquis* appropriatis conſultò quoque applicantur.

§. 64. Verbo etiam bubonum & carbunculorum memoranda tractatio, ita ſemper obeunda, ut internis præcipuè eadem perficiatur, non neglectis externis. Bubonibus competit *empl. diachyl. ſimpl.* & *compoſ. ad bubon. Senn.*

 magnet.

magnet. catapl. ex cepis & theriacâ, ex herbis emollientibus & bezoardicis, cum *rad. cynogloſſ. ficubus, herb. parid.* &c. Carbunculis *emplaſtrum de fuligine, magnet.* per ſe & cum aliis. Ad defenſionem verò vicinarum partium *unguent. de lithargyr. empl. defenſiv.* Mittimus alia, quæ conſolidationem, mundificationem, cicatriſationem, non maturandam tamen protenus, è ſuis fontibus procurant, ut *empl. citrinum, ſtict. Apoſtol.* &c.

§. 65. In DIÆTA AER cavendus frigidus, ut tranſpiratio libera continuo æquabili calore ſervetur integra. CIBUS & POTUS convenit tenuior. Studioſè cavendum, ne incuriâ vel negligentiâ in his vel reliquis malum increſcat & ſuperet archeum.

SOLI DEO GLORIA.

Quæ clades aliis fuerat Tibi gloria magna eſt,
dumque legis ſpicas meſſis opima manet.
Gloria namque obitos ſequitur condigna labores,
& meſſis cornu divite plura dabit.

Honoris & affectus ergo ſcribebat
PRÆSES.

Ars cælo vehitur, (nam ſedem legit in arce
Ætherea) & donis emicat illa ſuis.
Nobile carpit iter, quin cælo concipit ignes
Gratos, corque gerit de meliore luto:
Illuc qui tendit, cui terræ terrea ſordent
Munera, cui melius eſt artis adire domum.
Celſa via eſt, ſed celſa petit, qui ſcandit ad artem;
Offeret Ars niveâ præmia digna manu.
Hoc VVINTERBACHI facis & melioribus auſis
Ad nitidum properas mente manuq; decus.
Qui ſupponebas nulli non terga labori,
Digna artis medicæ prodis aperta tua.
Nam de peſte locat tua Diſſertatio nomen
Cœlo: Mens etenim nobilis alta petit.
Macte tuis cœptis! ſemper ſine peſte vigebit
Nomen, & in ſtudiis (ſed ſine peſte) vige.
Sic veteri veniet nova laus, nova gloria laudi,
Lucebitque novâ Patria luce tuâ.
*Sic fluet hic * RIVUS placidè, Peſtemq; liquore,*
Tollet: ſtringat eum non glacialis Hiems.

* Alluſio ad nomen VVinterbach.

Hiſce brevibus Clariſſimo Dn. Reſpondenti, Conterraneo æſtumatiſſimo applaudere voluerunt
CONTERRANEI.